

Ferdinandi concionator, Augustinus Bremensis
Cottelinus, Vuolffgangus Roderfferus, Hierony-
mus Montinus, Matthias Krezius) cum inquam
hi interrogarentur, à suo quisq; magistratu, &
tandem coniunctim, num Confessio Saxonum (ita
enim tum illa nominabatur) refutari posset veris
& solidis fundamentis & argumentis, responderunt
vnanimiter, prophetis & Apostolicis scriptis re-
futari illam minime posse, opus autem esse Patrum
& Conciliorum testimonijs & decretis ad confu-
tationem Confessionis Saxonicae. Hoc Caipha re-
sponsum fuit, verum fatentis iuxta conscientiam
contra conscientiam. Atq; haec non columna, sed
columba Romanae Ecclesiae, atq; corui arcam No-
hae deferentes fuere. Etsi enim & agnoscunt &
fatentur, Omnipotentis Dei Verbum sacrosan-
ctum & tremendum sibi obstare, quò minus Veri-
tati contradicere possint, tamen Confessionis Con-
futationem prolixam & folia ducenta exceden-
tem scribere non erubescunt, quae 20. Iulij primum
lecta est in confessu Imperij, ubi quidam Pontifi-
cius Princeps in hac verba erupit publicè: Luthe-
rani proximè confessionem exhibuerunt atramen-
to scriptam: ego si Caesar essem, redderem eis con-
futationem rubrica pictam, id est, sanguine ipso-
rum madentem. Huic ex tempore quidam alius
Princeps respondit: Hoc si Caesar faceret, cau-
endum esset ei, ne oculos suos chalciti, minio & cin-
nabrio aspergendo & perstringendo laderet. Con-

F

futationis